

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

April 15, 1992

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

---

1. Bernard Silvestris: The Introduction to the Cosmographia

In huius operis primo libro, qui Megacosmus, id est maior mundus, dicitur, Natura ad Noym, id est dei providentiam, de prime materie confusione conquerens inducitur, et ut mundus pulcrius poliatum humiliter implorat. Noys igitur, eius mota precibus, ei libenter annuit, et ita quatuor elementa ab invicem disiungit. Novem gerarchias angelorum in celo ponit, stellas in firmamento ponit, signa duodecim facit, per zodiacum orbem septem planetarum currere facit, quatuor cardinales ventos sibi invicem opponit. Sequitur genesis animantium et terre situs medius. Postea montes famosi describuntur, sequitur proprietas animalium, deinde famosi fluvii, sequitur proprietas arborum, postea species odorate, deinde genera leguminum, proprietas aristarum, virtus herbarum, genera natatilium, sequitur genus aerivagum; postea unde sit vita animantibus disseritur. In primo itaque libro ornatus elementorum describitur.

## 2. Asser: A plot against Abbot John

Nam quodam tempore, cum instinctu diabolico quidam sacerdos et diaconus, Gallici genere, ex praefatis monachis, invidia quadam excitati contra suum abbatem praefatum Iohannem, nimium latenter in tantum amaricati sunt, ut Iudaico more dominum suum dolo circumvenirent et proderent. Nam duos eiusdem gentis Gallicae servulos praemio conductos ita fraudulenter docuerunt, ut nocturno tempore, cum omnes delectabili corporis quiete graviter dormirent, patefactam armati intrarent ecclesiam; quam post se iterum solito more clauderent et unicum abbatis adventum in ea absconditi praestolarentur. Cumque solus solito more orandi causa ecclesiam latenter intraret, et ante sanctum altare flexis ad terram genibus se inclinaret, hostiliter irruentes in eum, tunc eum ibidem occiderent. Cuius corpus exanime inde trahentes ante ostium cuiusdam meretricis, quasi illic occisus esset in meretricando, iactarent. Quod etiam machinaverunt, crimen crimini addentes, sicut dictum est: 'Et erit novissimus error peior priore.' Sed divina misericordia, quae semper innocentibus solet subvenire, impiam impiorum meditationem maxima ex parte frustrata est, quo non per omnia evenirent, sicut proposuerant.

## 3. Innocent III to the Archbishop and Archdeacon of Sens

Exposuit nobis dilectus filius M. presbyter de Stabulis, quod cum olim invitatus a quibusdam pueris, de manu unius eorum arcum receperit et sagittam, et eam dirigere voluerit in arborem quae obstabat, manu errante sagitta eadem discurrens per aerem, puerum quemdam valde distantem modicum vulneravit in capite; propter quod idem puer creditur postmodum exspirasse. Quod cum idem presbyter bonae memoriae G. praedecessori tuo, frater archiepiscopo, sponte curasset humiliter confiteri, ipse poenitentiam et contritionem ipsius attendens, super beneficio Ecclesiae de Stabulis quam in archidiaconatu tuo, fili

archidiacone, adeptus fuerat, misericorditer dispensavit, ut ipsum quoad viveret possideret; mandans eidem ut ad sedem apostolicam accederet, mandatis super officio apostolicis pariturus. Quia vero in hoc non ex voluntate, sicut asserit, sed casu deliquit, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus, si verum est quod asserit, factam cum eo misericordiam attendentes, quod a dicto archiepiscopo factum est ratum habentes et firmum, eum super beneficio praedicto propter hoc nullatenus molestetis aut patiamini ab illis molestari.

#### 4. Boethius to Lady Philosophy: Providence and Free Will

Tum ego: "En," inquam, "difficiliore rursus ambiguitate confundor." "Quaenam," inquit, "ista est? Iam enim quibus perturbare coniecto." "Nimium," inquam, "adversari ac repugnare videtur praenosceri universa deum et esse ullum libertatis arbitrium. Nam si cuncta prospicit deus neque falli ullo modo potest, evenire necesse est quod providentia futurum esse praeviderit. Quare si ab aeterno non facta hominum modo sed etiam consilia voluntatesque praenoscit, nulla erit arbitrii libertas; neque enim vel factum aliud ullum vel quaelibet existere poterit voluntas nisi quam nescia falli providentia divina praesenserit. Nam si aliorum quam provisae sunt detorqueri valent, non iam erit futuri firma praescientia, sed opinio potius incerta, quod de deo credere nefas iudico. Neque enim illam probo rationem qua se quidam credunt hunc quaestionis nodum posse dissolvere. Aiunt enim non ideo quid esse eventurum, quoniam id providentia futurum esse prospexerit, sed e contrario potius, quoniam quid futurum est, id divinam providentiam latere non posse.